

Quando Conradus marchio cepit cancellarium Christianum.

CAP. LXXXVII.

Anno MCLXXXI [a] Conradus marchio [b] de Monteferrato cepit cancellarium Christianum [A] et, fere per annum, multis vinculis ferreis ipsum tenuit illaqueatum; eo quod Marchiam de Guarnerio [B] et magnam partem Italie tyranice devastaverat [c]. Tandem, maxima recepta peccunia, eum dimisit; cuius novissima pejora fuere prioribus [d].

Quando Faventini ceperunt cc pedites [e] apud Sanctum Anastasium Imolensium.

CAP. LXXXVIII.

Post admirabilem Virginis partum [f] anno MCLXXXI, Faventini quadam die cuperunt apud Moredanum [g] [C] bene ducentos pedites Imolenses. Alia vero die, cum pauci Faventinorum milites versus Imolam equitassent, ipsos, usque castellum Imolae, persecuti sunt [h] Imolenses, ex quibus quosdam cuperunt ac occiderunt.

Quando inter nos et comitem Guidonem Guerram pax est reformata.

CAP. LXXXVIII.

Hoc siquidem anno / pax et concordia inter nos et comitem Guidonem ac Imolenses, Deo dante, est reformata, praefato comite pro tota terra sua, quam habebat in Romania, Faventinis pro qualibet anno reddente bizantium [i] (71*). Porro Imolenses duo pallia Faventinis / et totidem Bononiensibus reddere annuatim sunt juramento astricti / foveis, que erant circum civitatem, pro parte magna destructis (71**). Hoc autem anno, Faventini et Bononienses rededificaverunt iterum castrum Sancti Cassiani, revocatis habitatoribus.

[a] Anno MCLXXXI. Sic Codd. omnes. — [b] *Conradus marchio*, C. M.; *Coradus marchio*, C. V. — [c] *tyrannice devastaverat*, C. M.; *tyrannide devastaverat*, C. V. — [d] *fuere prioribus*, C. M.; *fuere pejoribus*, C. V. — [e] *cc pedites*, C. M.; *cc milites*, C. V. — [f] *Post admirabilem Virginis partum*, C. M.; in quo, post admirabilem etc. In C. V., solum, eodem anno. — [g] *apud Moredanum*, C. M.; *apud Mordanum*, C. V. — [h] *persecuti sunt*, ex recensione Cl. Mitt., C. M.; *prosequuti sunt*, C. V. — [i] *bizantium*, C. M.; *bisantium*, C. V., monetae aureae cujusdam species.

[A] Vide *Animadv. n. 71.* [B] *Marchia de Guarnerio*, aequa sonat ac *Marchia de Camerino*; neque debet confundi cum *Marchia Anconitana*. [C] *Apud Moredanum*, vulgo *Mordano*. Castrum est ab urbe Imolensi, versus septentrionem, quinque milliariis dissitum. *Mordanum*, sive *Sanctum Anastasium*, perinde esse cum Cl. Mitt. credimus.